



LAZARUS ex nobili familia Schuuendiorum natus, & multis virtutibus educatus est. Is adolescentis in academia Basiliensi operam literis dedit, & Simone Grynæo præceptore usus, in artium & linguarum studio plurimum profecit. Postea vero bellorum studia secutus, ad Caroli Imperatoris curiam peruenit, et res sibi commissas magna diligenzia expediuit. Itaque Cæsari gratus multis honoribus auctus fuit. Cum etiam bellum Smalkaldicum instaret, Carolus hunc Lazarum Augustam, Argentinam, & Vilmam legatum misit, atque quorundam principum protervia declarata, eas ciuitates quiete iussit. In eo bello Lazarus Cæsari egregiâ operâ praestitit, atque ordines ducere iussus fuit. Postea quoque 1547 cum Elector Saxoniae captus esset, cum præsidio militum Gotham missus, ut eam arcem dirueret, & Albertum Brandenburgicum captiuum liberaret. Deinde cum Auguste Vindelicorum sequenti anno Carolus comitia celebraret, huic Lazaro negotium dedit, ut Vuisenburgum profectus Sebastianum Vogelspergerum caperet, & Augustam perduceret. Is ad decem signa peditum à Germania in Galliam abduxerat, & in autumno domum redierat. id quod Lazarus singulari industria perfecit. Itaque Vogelspergerus cum Iacobo Mantello & Vuolffio Thoma capitaneis capite plexus fuit, die septimo Februar. Schuuendius is acriter criminator fuerat, quasi ab eo circumuentus & proditus esset. Verum Biruiesca Hispanus & Nicolaus Zinnerus Germanus, ambo lure consulti, atque in ea causa iudices, qui sententiam tulerant, scriptum euulgat, & quare in illos vindicatum sit ostendunt. Schuuendium etiam purgant, & præter mandata Cæsaris nihil egisse dicunt.